

DISTINCTIO XII et XIII

Secundae particulae tractatus de processione Spiritus Sancti distincta et clara divisio, duarumque distinctionum non inepta subdivisio, in quibus de eadem processione agitur comparative.

ITEM QUAERITUR etc. Postquam Magister determinavit de filii generatione et Spiritus Sancti processione secundum se, nunc prosequitur de eis comparative. Et dividitur in duas partes, quia primo inquit aliqua de processionis ordine. Secundo de distinctione processionis a filii generatione ibi, post haec considerandum. Prima in duas, quia primo simul movet duas quaestiones; secundo ponit ad illas quaestiones distinctas responsiones. Secunda ibi, his et huiusmodi, et haec dividitur in tres partes, quia primo quantum ad primam quaestionem ostendit quod Spiritus Sanctus non procedit prius a patre, quam a filio; secundo quo ad secundam quaestionem ostendit quod Spiritus Sanctus non procedit magis a patre; et tertio ostendit sub quo sensu intelligendae sunt aliquae auctoritates quae praedictis videntur obviare. Secunda ibi, nunc autem tractandum. Tertia ibi, Augustinus tamen in 15. liber de Trinitate. Tunc sequitur, prius haec considerandum etc. in qua magister innuit distinctionem inter generationem et processionem, et dividitur in duas partes, quia primo ostendit quod Spiritus Sanctus non debet dici genitus. Secundo ostendit quod licet Spiritus non sit genitus, ex hoc tamen non debet dici ingenitus ibi, nunc considerandum est. Prima in tres, quia primo ostendit quod nasci seu generari non potest competere Spiritui Sancto. Secundo ostendit quod procedere convenit filio, cui tamen proprie convenit generari. Et tertio ex his innuit differentiam inter generationem et processionem, quamvis sufficienter huiusmodi distinctionem attingere non possumus in ista vita mortali. Secunda ibi, cum autem Spiritus Sanctus; tertia ibi, inter generationem vero filii. Tunc sequitur illa pars. Nunc considerandum, ubi primo Spiritum Sanctum non debere dici ingenitum ostendit ex dictis Augustini. Secundo obiicit ex dictis Hieronymi. Tertio respondet huiusmodi obiectioni. Secunda ibi, Hieronymus tamen in regulis; tertia ibi, sed ut istam, etc. Et haec in duas. Nam primo ponit praedictae obiectionis solutionem; secundo addit suae solutionis confirmationem, ibi. Quod autem etc. Quantum ad istas duas distinctiones quaero hanc quaestionem.

Quaestio I

An filii generatio sit prior spiratione Spiritus Sancti?

Licet spiratio activa quo quomodo praesupponat generationem in divinis, non tamen ob id inter has notiones ulla realis arguitur prioritas. Generatio tamen et spiratio realiter distingui possunt, saltem indirecte, quarum emanationum distinctio distinctioni secundum numerum assimilatur. Verumtamen abusive Spiritus Sanctus ingenitus nocitatur.

UTRUM GENERATIO filii sit prior spiratione spiritus sancti? Et videtur quod sic, quia illud, cuius terminus est principium spirationis, hoc est prius spiratione. Sed generationis terminus, puta filius, in divinis est principium spirationis, ergo etc. CONTRA, sicut se habet filius ad Spiritum Sanctum, sic se habet generatio ad spirationem. Sed filius non potest esse prior Spiritu Sancto, ergo nec generatio erit prior processione, sive spiratione. Maior patet, quia sicut se habet terminus ad terminum, sic se habet via ad viam. Minor similiter patet, quia non maiorem prioritatem habet filius respectu Spiritus Sancti, quam pater respectu filii, sed superius probatum est, quod pater non est prior filio, ergo etc. Hic quattuor sunt videnda. Primo de eo,

quod quaeritur. Secundo quantum ad distinctionem sequentem videndum est, utrum generatio et spiratio different realiter? Tertio utrum earum distinctio magis assimiletur distinctioni specificae vel numerali? Et quarto utrum spiritus sanctus possit dici ingenuus? Sicut videtur dicere Beatus Hieronymus.

QUANTUM AD PRIMUM, utrum generatio filii sit prior spiratione Spiritus Sancti, dictum est superius in distinctione 9. Sed unum est, quod distuli usque modo, videlicet quod sunt quidam qui quantum ad prius et posterius in divinis tria ponunt, quae non reputo esse vera. Primum est, quod generatio filii est prior spiratione Spiritus Sancti naturali praesuppositione, et posset probari secundum eos, quia sicut se habet terminus processioneis unius ad terminum processioneis alterius, sic se habet processio ad processionem. Sed Spiritus Sanctus praesupponit filium, cum sit tertia persona in divinis, et filius secundum, ergo processio Spiritus Sancti praesupponit processionem filii. 2. Secundo idem dicunt de paternitate, vel quacunque alia divina relatione per comparisonem ad fundamentum, quia sicut ipsi dicunt, in creaturis non plus differt relatio a fundamento, quam in divinis, quia utrobique reperitur absolutum et relativum, utrumque secundum [162] propriam rationem utriusque. Sed in creaturis est ordo naturae secundum prius et posterius inter fundamentum et relationem, ergo et in divinis.

ETSI DICITUR eis, si in divinis fundamentum esset prius natura quam respectus, tunc essent in divinis duae naturae. IPSI RESPONDENT, quod licet in divinis non sint duae naturae facientes compositionem, sunt tamen in divinis duae res extendendo nomen rei ad absolutum et relativum. 3. TERTIO IDEM dicunt de communi spiratione respectu paternitatis, nam cum paternitas sit personae patris constitutiva et communis spiratio non constituat. Sed patris personam constitutam praesupponat, sequitur quod paternitas sit naturaliter prior communi spiratione. SED ILLA non videntur esse vera, quia summe primo nihil potest esse prius naturaliter. Sed quodlibet praedictorum est summe primum, cum sit simpliciter aeternum, ergo etc. AD PRIMUM ergo dicendum quod non quaelibet praesuppositio arguit realem prioritatem, seu naturalem. Sed solum illa praesuppositio, quae est in diversitate naturae, persona enim divina, quae est pater, praesupponit seipsam ut est Deus et tamen inter Deum et patrem in divinis non est prius et posterius reale, de quo tu loqueris. Falsum etiam in argumento assumitur, quia quamvis filius producat Spiritum Sanctum et praesupponatur a Spiritu Sancto, tamen non est realiter seu naturaliter prior Spiritu Sancto, cum eandem habeant naturam penitus indivisam. In secundo dicto similiter falsum assumunt, cum dicunt quod non plus differat relatio in creaturis a suo fundamento, quam in divinis. Illa est falsissima, quia dato quod relatio creata transeat quantum ad esse in suum fundamentum ad ipsum comparata, non tamen recipit praedicationem fundamenti, sed divina essentia substantialiter et identice praedicatur de qualibet divina relatione praedicatione dicente, hoc est hoc. Cum ergo talis praedicatio ubicunque invenitur necessario concernat maiorem convenientiam praedicati ad subiectum, quam ubi inveniri non potest, ergo necessario sequitur, quod plus differant relatio creata et suum fundamentum, quam relatio divina. Etiam non est simile quod assumunt, quia cum relationes creaturarum sint temporales et quasi tota die quantum ad actualement denominationem sui fundamenti adveniant et recedant, quid mirum si suum fundamentum tanquam naturaliter praesupponunt? Relationes vero divinae sunt simpliciter aeternae et immutabiles, et ideo nihil est ad propositum quod assumunt. RESPONSIO etiam eorum, cum dicunt quod in divinis sint duae res extendendo nomen rei ad absolutum et relativum, est periculosa valde, quia si res absoluta in divinis poneret numerum cum re relata, cum sint tres res relatae et una absoluta ponens cum eis numerum, tunc esset realis quaternitas in divinis, quod fuit error Ioachim, qui error est expresse damnatus extra De summa trinitate et fide catholica capitulo ‘Damnamus’ etc., ‘Nos autem sacro approbante concilio’. Nec tertium eorum dictum valet, quia etiam secundum eos, paternitas non est prior filiatione, sed simul sunt natura et naturali intelligentia. Sed filiatio non potest esse prior

spiratione activa, ergo nec paternitas, quia quaecumque aliqua simul sunt, quicquid non est posterius uno, non potest esse posterius altero. Probo minorem, quia nihil eorum, quae pater communicat filio est posterius filiatione quia omne tale quod pater communicat in se praehabet, cum nihil det, quod non habet. Sed pater non solum essentiam, verumetiam communem notionem, vel ipsam spirationem filio communicat, ergo huiusmodi spiratio non poterit esse posterior filiatione. Item, cum talis communis notio aequalem habeat relativam oppositionem et simultatem cum spiratione passiva, quae est Spiritus Sancti constitutiva proprietas, qualem habet paternitas et filiatio. Liquido apparet quod in divinis nulla potest esse realis prioritas, nec personarum, nec relationum, sive oppositarum, nec desperatarum, nec processionum sive originum. Et cum dicunt quod communis notio non constituit, de hoc sunt opiniones, ut infra poterit patere, cum tractabo de constitutivis principiis personarum. Ad praesens tamen dico quod dato quod non constituat patris personam in esse distinctivo quo ad filium, non tamen est posterior paternitate, sicut nec essentia divina, quae personam patris non constituit in esse distinctivo respectu cuiuscunque divinae personae.

QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum generatio et spiratio differant realiter? Dicendum, quod omnes catholici doctores in hoc conveniunt, quod duae sint verae et reales productiones in divinis, puta productio filii, quae dicitur generatio et productio Spiritus Sancti, quae dicitur spiratio. Sed in modo declarandi istarum processionum distinctionem doctores variantur. DICIT ENIM doctor noster quod relationes oppositae in divinis distinguuntur secundum se, supposita vero distinguuntur per tales oppositas relationes, desperatae vero relationes distinguuntur eo, quod immediate fundantur in suppositis distinctis oppositis relationibus, et ideo cum generatio et spiratio sint in duobus suppositis relationibus oppositis realiter distinctis, puta in filio et Spiritu Sancto, ideo huiusmodi processiones realiter sunt distinctae. SED CONTRA istum modum, quem credo esse verum, arguit quidam doctor sic. Quia tu alias dixisti, quod tota causa quare generare et spirare possunt stare simul est, quia non habent ad invicem oppositionem. Sed non plus opponuntur generari et spirari, quam generare et spirare, ergo et illa poterunt stare simul, si illa est causa sufficiens quam assumes. 2. Praeterea, tu pluries dixisti, quod relationes desperatae non multiplicantur, seu distinguuntur, nisi adsit distinctio secundum esse, cum ergo in divinis etiam secundum te non sit distinctio secundum esse, ergo secundum dicta tua processiones sive desperatae relationes non erunt ibi distinctae. 3. Praeterea, si relationes, non erunt ibi distinctae. 3. Praeterea, si relationes desperatae distinguuntur realiter ex hoc, quod sunt in distinctis suppositis, tunc communis notio erit realiter distincta a seipsa eo quod sit in patre et filio. Probatio consequentiae, quia existente eadem causa, semper sequitur idem effectus. Sed secundum te causa distinctionis realis relationum desperatarum in divinis est, quia sunt in distinctis suppositis. SED ISTIS non obstantibus dicta nostri doctoris manent inconcussa, loquitur enim doctor de talibus desperatis, quae ambae sunt personales proprietates et incommunicabiles, ex cuius ignorantia procedunt argumenta praedicta. AD PRIMUM ergo dicendum quod causa quare generare et spirare stant simul est non oppositio. Tamen hoc non est tota causa, etiam secundum dicta doctoris nostri, est enim intentio doctoris nostri, quod cum praedicta non oppositione, causa huius compossibilitatis est, quia spirare non est incommunicabilis personalis proprietas, sed generari et spirari sunt duarum personarum incommunicabiles et personales proprietates. Etiam minor videtur esse falsa, quia eo ipso, quod per ipsum generari communicatur filio ipsa spiratio activa, quae directe opponitur spirationi passivae, ergo saltem indirecte magis opponuntur generari et spirari, quam generare et spirare, quia per generare nihil communicatur patri, quod directe spirationi activae opponitur. Ad secundum dicendum quod est dare gradus in relationibus desperatis, quia quaedam nec directe, nec indirecte opponuntur et illae, ut rem dicunt non multiplicantur, nisi multiplicato ipso esse rei, in qua fundantur, quamvis multiplicari possint ut relationes sunt, si ad distinctos terminos referantur. Aliae sunt, quae saltem indirecte aliquo

modo opponuntur, sicut iam patuit de generari et spirari, et hae possunt multiplicari etiam, ut res sunt [163] distinctis et multiplicatis suppositis, in quibus sunt, non multiplicato ipso esse. Ad tertium dicendum quod communis notio non est in patre et filio, ut duo sunt, sed ut unum principium sunt ipsius Spiritus Sancti, ut patuit superius distinctionibus 10 et 11. DOCTOR ETIAM communis in diversis suis dictis et scriptis diversimode nititur declarare modum distinctionis illarum processionum, quandoque namque dicit quod distinguuntur per comparationes ad terminos, quia processiones se habent per modum motus, omnes autem motus et mutationes specificantur et distinguuntur ex terminis, ergo cum illarum processionum termini sint realiter distincti, puta filius et Spiritus Sanctus, ergo et ipsae processiones realiter distinguuntur. SED ISTUD impugnatur primo a doctore nostro sic. Quia motus non fortitur speciem ex termino ad quem est, inquantum suppositum habet rationem termini, quia ut sic dealbari et denigrari essent eiusdem speciei, quando dealbari terminaretur ad suppositum Socratis, et denigrari ad suppositum Platonis. Item, duae albedines differrent specie, cum terminaretur una ad hominem, alia ad lapidem. Distinguuntur ergo motus ex terminis inquantum forma, seu natura habet rationem termini, ut patet 3. Physicorum. Differunt enim denigratio et dealbatio specie, quia albedo et nigredo, quae sunt termini formales illorum motuum, differunt specie et dealbatio et dealbatio differunt numero, quia albedo et albedo differunt numero. Cum igitur in divinis terminus formalis sit unus, puta natura divina, quamvis termini suppositales differant, ergo ex termino, quo motus specificatur, non possumus probare realem distinctionem processionum in divinis. 2. Etiam illud potest probari sic, sicut se habent emanationes ad terminos emanationum, sic se habent principia emanationum, puta intellectus et voluntas ad ipsas emanationes, quia emanationes mediant inter principia et terminos. Sed in divinis principia non distinguuntur realiter ex emanationibus, ergo nec emanationes distinguuntur realiter ex terminis. 3. Praeterea, ab eodem res habet esse et distinctum esse. Sed ipsi motus non habent esse ex terminis, quia secundum suum esse ipsi motus praecedunt terminos, ergo etc. 4. Praeterea, si omnis motus specificaretur ex termino, tunc motus curvus et motus rectus essent eiusdem speciei. consequens est falsum, quia non minus differunt quae distinguuntur divisione principali quam quae secundaria, puta quae differunt ex subdivisione unius membri primae divisionis. Sed motus secundum locum primo dividitur in motum rectum et circularem. Motus autem rectus dividitur in motum sursum et deorsum, qui differunt specie, ergo etc. Consequentia patet, quia motus rectus et motus curvus sive circularis possunt ad idem ubi terminari. PROPTER quod doctor praedictus ponit adhuc tres alios modos praeter iam dictum modum. Primo enim ait quod talis distinctio emanationum sit ratione modorum emanandi, puta quia una est modo intellectus sive naturae, et alia modo voluntatis. 2. Secundo, quia una emanatio est ab uno, puta generatio et alia est a duobus, puta ipsa spiratio sive Spiritus Sancti processio. 3. Tertio dicit, quod distinguuntur ratione ordinis, ex eo videlicet quod velle habet ordinem ad intelligere. SED PRIMUS illorum trium modorum non valet, quia cum natura et voluntas in divinis sola ratione differant, nisi aliud dicatur ex earum differentia, quae est per modum nostrum intelligendi, non poterimus arguere realem differentiam ipsarum processionum. Nec secundus modus valet, quia procedere ab uno vel a pluribus non in eo quod plura, sed magis in eo quod unum, hoc per se non facit differentiam. Nec tertius modus valet, quia talis ordo, qui est inter velle et intelligere divinum, non potest esse ordo realis, quia ordo realis praesupponit ordinata realiter distincta. Sed intelligere et velle Dei sunt idem realiter, ergo etc. DIXERUNT ergo quidam alii quod illae emanationes non possunt distingui, nisi ponatur quod earum principia, puta intellectus, sive natura et voluntas, sint formaliter distincta ex natura rei, quod probant sic. Quia idem manens idem semper facit idem 2. De generatione, ergo si principium illarum emanationum esset indistinctum realiter et formaliter, tunc solum unam emanationem produceret. 2. Praeterea, impossibile est quod unum indistinctum realiter et formaliter duorum productorum sit principium, quorum unum procedat libere et alterum necessario, sed Spiritus Sanctus procedit libere et filius necessario, ergo etc. 3. Praeterea, agens

quodcunque secundum principium indistinctum formaliter non determinat sibi certum numerum productorum, sicut patet tam in agente univoco, puta in igne producente ignem, quam in agente aequivoco, puta de sole producente ignem. Si igitur principium productivum in divinis esset indistinctum formaliter, tunc immoderata esset divina productio. SED QUAMVIS illa distinctio formalis sit superius reprobata, tamen quantum ad praesens spectat negotium arguo contra eam sic. Ubicunque reperitur ratio omnis entitatis sub una ratione entitatis unitissime et simplicissime, quantum est ex natura rei, et ab intra, ibi nulla cadit distinctio formalis ex natura rei et per consequens omnis ratio activitatis ibidem poterit unitissime reperiri. Sed in divinis est huiusmodi, ut declaratum est superius, ergo etc. 2. Praeterea, non minus est mirabile et singulare oppositas relationes fundari in uno penitus indistincto fundamento, quam idem simplex et formaliter indistinctum esse principium duarum emanationum realiter distinctarum, maxime cum motus et emanationes, etiam naturaliter loquendo, non numerentur per ea, a quibus sunt; motus enim unius navis unus existens posset esse a mille viris, sed in divinis oppositae relationes sunt in eodem simplicissimo et indistincto fundamento, ergo etc. AD PRIMUM potest dici quod philosophus per illam propositionem non intendit excludere ab eodem producente, quin possit plura producere, sed intendit concludere productionis perpetuitatem, puta si tale agens est invariabile, tunc si semel producit semper producet, et sub illo sensu tunc concedo propositionem etiam in divinis, quia pater invariabiliter semper genuit, generat et in sempiternum generabit filium suum. Et eodem modo dico de patre et filio quoad Spiritum Sanctum. Ad secundum dicendum quod filius sic procedit naturaliter et necessario, quod tamen procedit liberrime, quia nullatenus procedit coacte et Spiritus Sanctus sic procedit libere, quod tamen procedit determinate et necessario, determinate quidem, quia per suam processionem sibi communicatur eadem natura, quae et filio communicatur per generationem et necessario procedit, quia immutabiliter procedit et impossibile est eum non procedere. Ad tertium dicendum, quod quamvis maior aliquam veritatem habeat de agentibus secundis, non est tamen vera de agente primo, agentia namque secunda determinantur ad distincte agendum per certa principia sibi indita ab agente primo. Primum autem agens non expectans impressionem seu determinationem cuiuscunque alterius agentis per unam suam simplicem entitatem ex seipso est determinatum ad producendum omnia, quae producit, tam ad intra, quam ad extra; unde ex infinitate perfectionis divinae naturae contingit quod ipsa omnino existens indistincta est principium distinctorum. Etiam ipsa divina essentia inquantum est faecundum principium illarum duarum emanationum, sic connotat paternitatem et commune notionem, quae etsi non sint distinctae res, sunt tamen distinctae relationes. Posito enim quod voluntas et intellectus in divinis essent distincti modo quo ipsi ponunt, adhuc talis distinctio oporteret quod immediate oriretur ab ipsa divina essentia omnino et penitus indistincta, alias esset processus in infinitum et ideo pari ratione standum est [164] in primis, scilicet quod ipsa divina essentia formaliter et realiter indistincta est principium productivum duorum suppositorum secundum duas distinctas emanationes.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum distinctio generationis et spirationis magis assimiletur distinctioni specifica vel numerali, deberem trifariam procedere. Primo enim deberem istum articulum tractare de ipsis emanationibus. Secundo, de ipsis relationibus seu personalibus proprietatibus, et tertio de ipsis divinis suppositis. Attamen ratione brevitatis quantum ad haec omnia istum articulum simul et indistincte tractabo, primo recitando doctorum opiniones et in fine quid ego sentiam breviter insinuabo. EST IGITUR quaedam opinio dicens distinctionem in divinis magis assimilari distinctioni specifica quam numerali, quia illa distinctio est specifica quae est secundum formas specificè distinctas. Sed relationes in divinis, quibus divina supposita distinguuntur, sunt specificè distinctae, ergo etc. AD HANC rationem quidam dicunt quod maior non est vera, nisi in his, ubi formae specificae concernunt naturarum diversitatem. Hoc autem non est in divinis ubi relationes specificè differentes stant cum una et

indistincta natura. SED NISI aliter dicatur, illud non sufficeret, quia si ex hoc velles arguere quod non differrent specificè, quia natura in qua fundantur relationes personas constituentes non differrent specificè, tunc consimiliter posses dicere quod non differrent numero, quia huiusmodi natura non distinguitur numeraliter. ET IDEO alii negant minorem, quia cum praedictae relationes fundentur in essentia divina, et per consequens in eam transeant, ipsae non possunt specificè differre. Secus autem est, ut dicunt in creaturis, ubi diversae relationes fundantur in diversis naturis. SED NEC illud valet eadem ratione iam dicta, quia cum natura divina sit una numero etc. 2. Praeterea, principia distinctiva distinctis per ipsa non possunt dare aliam distinctionem, quam eam, quae eis competit secundum eorum rationem formalem. Sed paternitas et filio secundum earum formales rationes differunt specificè, ergo etc. 3. Praeterea, relationes divinae non possunt personas distinguere, nisi eo modo, quo manent in divinis. Sed, ut communiter dicitur, ipsae secundum esse transeunt in divinam essentiam et manent secundum rationem quidditatis, quae est ratio specifica et formalis, ergo personas distinguunt specificè et formaliter. 4. Praeterea, relationes similes non possunt multiplicari in divinis, ergo solummodo ibi erunt relationes specie differentes, et per consequens constituunt supposita specificè differentia. Antecedens ab omnibus est concessum. Consequentia patet. 5. Praeterea, secundum Augustinum 15. De Trinitate¹, producta divina supposita determinant sibi productiones specie differentes, cum ergo productiones specificentur ex terminis, necesse est terminos ipsos per modum speciei esse distinctos. ETIAM SUNT quidam hic medium tenentes, qui dicunt quod relationes divinae possunt dupliciter considerari. Uno modo ut sunt merae et simpliciter relationes et ut referunt ipsa supposita, et sic aliquo modo differunt specie. Alio modo ut contrahunt a divina essentia vim formarum substantialium et sic sunt formae eiusdem speciei, et constituunt personas in genere substantiae solo numero differentes, et quia ordine naturae supposita prius sunt constituta quam relata, ideo non differunt specie. SED NEC illud videtur valere, quia si relatio non constituit, nisi ut contrahit ab essentia vim, seu virtutem formae substantialis, tunc non constitueret suppositum relativum, sed simpliciter absolutum, et sic haberemus tria supposita absoluta in divinis, quod est contra fidem. ALII DICUNT² quod respiciendo ad relationes, potest convenienter concedi quod differant specie, sed respiciendo ad naturam divinam non debent dici differre specie, sed numero solum.

SED ETIAM illud non est verum, quia respiciendo divinam naturam, tunc supposita divina non differunt numero, sed sunt una res numero simplicissima. ET IDEO DICO, quod quamvis non possimus proprie loqui de differentia numerali, vel specifica applicando sermones nostros ad divina, tamen si ad unum istorum nos volumus determinare, debemus magis dicere quod distinctio divinorum suppositorum assimiletur distinctioni numerali, quam specificè. Quia quantum possumus, salva semper veritate, dicta nostra sic moderari debemus, ut haereticis non demus occasionem suae haereticae praevitatis. Sed distinctio suppositorum specifica secundum usitatum modum loquendi, sonat in diversitatem et distinctionem naturae, quam diversitatem posuit Arius in divinis, ergo magis debemus asserere divinorum suppositorum distinctionem numeralem, quam specificam. Et eodem modo dicere nos oportet de processionibus, cum processiones non sint distinctae, nisi quia in distinctis sunt suppositis, ut dicit una opinio, vel quia terminatur ad distincta supposita, ut dicit alia opinio. 2. Praeterea, omne agens perfectum producit sibi simile in natura, nisi adsit aliquod impedimentum, vel ex parte agentis, vel ex parte recipientis, ut patet per Commentator 7. Metaphysicae et illa est vera loquendo de agente non aequivoco, sed in divinis est agens perfectum et nullum est ibi impedimentum, productum autem in similitudine naturae est eiusdem speciei cum producente, ergo etc. 3. Praeterea, ubicunque producat et productum in omnibus conveniunt praeter solam actionem producentis, passionem producti, ibi producat et productum sunt necessario eiusdem speciei, quia in omni

¹Cap. 27 tom. 3

²Durandus

productione quam vis cumque univoca produciens et productum differunt penes huiusmodi actionem et passionem. Sed sic est in divinis teste Damasceno qui ait libro 1 quod in divinis omnia sunt idem praeter generationem, ingenerationem et processionem. 4. Praeterea, supposita omnino eiusdem et aequalis perfectionis non differunt specie, quia in simpliciter differentibus specie non possunt dari duae species aequalis perfectionis, sed supposita divina sunt omnino aequalis, immo eiusdem perfectionis, quia cuicumque suppositorum deficeret aliqua perfectio, illud non esset Deus, cum hoc intelligatur nomine Dei, quod est perfectum omni perfectione, ut patet per Commentatorem 5. Metaphisicae. 3. Praeterea, illa est expressa intentio Damasceni libro 3. ubi ait: Numero et non natura dicuntur differre hypostases. AD PRIMUM ergo contrariae opinionis dicendum ad minorem, quod quamvis paternitas et filiatio secundum se consideratae distinguuntur specificiter, tamen ut constituunt divina supposita induunt modum individualium proprietatum, igitur ut sic distinguunt ipsa constituta supposita solum individualiter. Hoc etiam videmus in creaturis, puta quod aliqua individualia principia secundum se considerata specie differunt. Attamen, ut distinguunt sua individua sub communi natura, non distinguunt ea specie, sed solo numero. Ad secundum dicendum, quod maior solum verificatur de talibus principiis distinctivis, quae distinctis per ipsa dant esse simpliciter, non autem de his, quae dant esse individuale et incommunicabile. Ad tertium dicendum, quod dato quod duo homines nasceretur, quorum unus esset triangularis et alter quadrangularis, non obstante quod tales figurae differant specie secundum se consideratae, tamen hi duo homines per tales figuras, tanquam per sua principia individuantes differrent solo numero et individualiter, sic etc. Ad quartum patet per idem. Ad quintum dicendum, quod Augustinus loquitur de productionibus ratione, quae sunt idem relationibus constitutivis, quod cum diligentia quaesivi in illo capitulo, sed nec haec verba, nec aliqua ipsis similia inveni. Si tamen alicubi talia verba vel his similia [165] invenirentur in dictis Augustini, tunc dico quae si considerentur secundum se, tunc differunt specie, sicut iam dictum est.

QUANTUM ad quartum principale, utrum Spiritus Sanctus possit dici ingenuitus, dicendum quod, quamvis haec sit falsa, Spiritus Sanctus est genitus, haec tamen non est vera, Spiritus Sanctus est ingenuitus, accipiendo ingenuitatem privative, quia affirmativa de praedicato privativo non sequitur ad negativam de praedicato finito, nisi praesupposita constantia subiecti cum aptitudine ad formam oppositam illi privationi. Sed Spiritus Sanctus non sic caret generatione, quod habeat aptitudinem ad eam. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod quamvis terminus generationis sit principium spirationis, tamen quia spiratio et generatio sunt personales proprietates duorum suppositorum simpliciter coaeternorum et relative oppositorum, ideo non est ibi prioritas, nisi rationis.